



EUROPA LATINA

*“In Aetnae radicibus”*

*Symposium Latinum, Catinae, diebus 20-25.08.2016*

Inter omnes satis constat consuetudinem Latine loquendi ac scribendi non tantum apud Romanos viguisse nec utique apud illos solum, qui hunc sermonem cum lacte nutricis suxerunt: lingua enim Latina per longum tempus ac fere usque ad saeculum XIX mirabile ac paene unicum exstitit instrumentum, quo viri docti Europaei inventa lucubrationesque suas inter se communicare et in medio ponere potuerunt. Nobis autem respicientibus ad scholas atque conventus, quae in diversis Europae regionibus quotannis instituuntur ad hanc perennem Latinitatis vitam celebrandam, visum est aliquid simile temptare et *Symposium Latinum* Catinae indicare. Quo quidem incepto id efficere destinamus ut litterarum Romanarum studiosos eliciamus ad Latine disputandum maximeque ad legendum quicquid delectabile aut scitu dignum a scriptoribus cum antiquis, tum recentioribus de situ Siciliae exaratum est. Participes conventus nostri pluribus scholis Latinis intererunt, inter quas et ipsi studia sua proferent disputando, orando, scribendo. Praeterea, id quod iucundum fore arbitramur nec parum utile ad discendum, lustrabimus nobilissima oppida Siciliae ac loca pulcherrima, quae inter Pelorum et Pachynum sita sunt (Syracusas, Tauromenium, Catinam, oram Cyclopum quae vocatur etc.). Ut *Symposio Latino* interesse possis, non necesse est sane ut iam ad Latine scribendum aut loquendum valeas: sufficit ut leges grammaticas exploratas habeas.

